



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

16 Pretium cujuscunque rei est triplex, supremum, infimum, & medium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

mens ipsius conditoris, quòd census ad septem legitimè imponi possint, & scientia Papæ omne vitium purgat. *Castad. decis. 2. desim. n. 4.* habetq; vius dispensationis, *Felin. in cap. cum vigesimum. num. 5. de 17 off. & potest. jud. deleg.*

Justum † enim pretium rerum non consistit in puncto individuo, sed in quadam mediocritate, quæ latitudinem habet per gradus, quemadmodum generaliter docet Aristot. *lib. 2. ethic. cap. 6.* adeo quòd cujusque rei pretium † est triplex, ¹⁶ supremum, infimum, & medium, nec potest dari casus, quo res præcisè centum valeat, nec plus, nec minus, quoniam centum valet pretio medio, pretio supremo centum, & quinque, & pretio infimo nonaginta quinque, iniquitas enim in pretio consistit in excessu, vel diminutione justii pretii: quod ad mediocritatem pertinet, quæ cum latitudinem habeat, in pretium supremum, infimum, & medium, & in hoc triplici pretio iniquitas contingere nequeat, secundum *Sot. in 4. dist. 15. quest. 2.* Navar. *in cap. qualitas, de pecuniis, dist. 5. num. 45.* & *Covar. lib. 2. variar. resolut. cap. 3. num. 1.* in hac varietate quinque, sex, septem, octo, novem, aut decem pro centenario, taxa septem, quæ magis communiter practicatur, & uti pretium medium, ubi minor non sit in usu, est admittenda, ut in mediocritate fundata, de qua per *Alex. in l. quod te ff. si cert. pec. Covar. d. cap. 3. num. 1.* & *Navar. in manual. cap. 17. de usur. n. 239. tom. 3.* & ita fuit ultimo per *Clem. Papa VIII.* ad septem pro centenario, in statu ecclesiastico, favore Communitatum, Universitatum, civitatum, oppidorum, & locorum dicti status ecclesiastici

ære alieno onustorum annuus redditus census hujusmodi taxatus, ut in motu proprio ejusdem Papæ Clementis die prima Maij 1592. expedito.

Quartò, † quòd totum pretium simul solvatur in pecunia numerata præsentibus testibus, ac notario, ut ibi, *tutius, &c.* Propterea notarius, & testes videre debent solui pretium integrum in pecunia numerata, & non sufficit ostensio, aut traditio partis pecuniæ, etiam cum confessione vendentis censum, quòd receperit totum, *arg. l. 1. & ult. C. de dot. cau. non num.* quoniam dicta conditio fuit in constitutione apposita ad evitandas fraudes, quæ vix removeri possunt; ut per *Navar. eod. com. de usur. num. 82.*

Quid † auctm, si vendens censum debeat emptori centum antea ob aliquas causas recepta, & postea facta ostensione, & numeratione pecuniarum recipit illa centum in partem pretii, an emens, in foro conscientiæ possit tunc percipere censum ita constitutum, & solutum, est distinguendum, quia, aut illa centum debebantur ex legitima causa ab homine sagaci, qui in sui utilitatem illa exposuerat, & tunc censum integrum exigere potest, quia verè eorum Deo pretium fuerat solutum, aut dicta centum fuerant data in pannis, & aliis mercibus, vel in pecunia numerata ad ludendum, aut in alios usus malos, & varios convertenda alicui juveni bona sua dilapidanti, qua de causa potissimum *Pius V.* motus fuit ad dictam conditionem in constitutione apponendam, & tunc census non erit legitimè creatus, & emptor tuta conscientia illum pro illis scutis malè consumptis exigere non potest, *Navar. eod. n. 82. vers.*